

OPE ALTISSIMI,
Suffragio Ampliss: FACULT. PHILOSOPH.
Regiae ad Auram Academiae,

LIBRAM
ÆQUITATIS,

ad pendenda

PARENTUM ET LIBE-
RORUM OFFICIA,

TUTAMINE

Viri Amplissimi

M. GABRIEL
JUSLENI,

Log. & Metaph. Prof. Celeberrimi,

DISSERTATIONE

PRO GRADU MAGISTERII,
In Audit. Maximo, die 7 Nov. A. 1703.

horisque ab octava antemeridianis
Publicæ bonorum censuræ, modeste submittit

GABRIEL HARTMANN
Austro-Fenno.

Exc. Jo. WAL.

*Muneris Nobilitate & Honoris eminen-
tia diu Inctyo*

DN. CAROLO PAULIN,

In Dicasterio Regio Magni Ducatus Fin-
landiae, ASSESSORI ut Amplissimo
ita Consultissimo.

*Officii Dignitate & Amplitudine, nec non
Prudentiae laude Percelestri*

DN JOHANNI SAEHLS,

CONSULI Justitiario Civitatis Aboënsis
Gravissimo, pariterque Æqvif-
fimo.

MÆCENATIBUS, PATRONIS & EVERGETIS
Magnis & Propensissimis,

Annos & milia fata!

Morum præscribentes præcepta, rite ad-
monent beneficiis affectos, ut de re-
pendendis cogitent, cum sic DEO
hominibusque reddantur accepti : Verum cum
cujusvis non sit arbitrii, beneficium accepitum
re-

rependere; grato affectu beneficium agnoscere,
idque apud alios in proposito dignis laudibus
evehere, ejusque magnitudinem exponere ju-
bent. Quæ cogitatio dum animum meum su-
bit, non possum non profiteri, PATRONI &
EVERGETÆ Propensissimi, Vestrorum Benefi-
ciorum Magnitudine me ad compensationem
jure esse obligatum, Verum obligationi & vo-
luntati meæ, vires non respondent. Afferret
sane mihi aliquod levamen, si nunc palam
VESTRA Beneficia favoremque, PATRONI & E-
VERGETÆ Maximi, lieceret prædicare; verum id
facienti, vereor ne quis adulatio[n]is notam in-
ureret, quam ut peste[m] odi. Hinc ansam ar-
ripui, impolitam hancce opellam, INCLYTIS
VESTRIS NOMINIBUS dicandi, non eo a-
nimo, ut referrem gratiam, Vestrī Beneficiis
parem; sed dūtaxat ut grati animi esset si-
gnus. Respicite itaque benigne mucusculum
hoc chartaceum, & si Vestro aspectu dignum
judicaveritis, est quod in finu gaudeam, novo
auctus beneficio. De cetero, PATRONI Am-
plissimi, Vos tutelæ Omnipotentis, me vero
Vestræ Gratiae jugiter commendo, qui sum e-
roque

VESTR. AMPLISS. NOMINUM
humilissimus & addicissimus
cultor

G. Haarillano.

VIRIS

Pariter & virtute & gravitate Com-
mendatissimis, Speciatissimisque,

DN. JOHANNI TESCHE,
Negotiatori Civitatis Wiburgensis
Prudentissimo.

DN. HENRICO SAEHLS,
Mercatori nominatae Civitatis Wi-
burgensis Honoratissimo.

DN. PETRO VOGELL,
Itidem celebratae Civitatis Negotia-
tori egregie Conspicuo.

Evergetis atq; Fautoribus
benignissimis,

ut suum declararet animum,
hanc Dissertationem Gra-
dualem, in interioris affe-
ctus texuētus offert

Auctor & Respondens:



AUSPICE JESU!



ontraēta labe primava, ho-
mines in densissimis ob-
versantur tenebris, ut plus
sepius in iis, quæ bruta
faciunt instinctu naturæ,
delinquant: Alii (ut cœ-
tera præterea) erga suos

plane sunt ærogyni: alii contrarium & præ-
postorum servant ordinem, proprium defraude-
dantes genium, ut suis bene sit: alii, licet
natura paucis sit contenta, si non verbis ta-
men factis ædosi, noctes & dies in id sedulo
incumbunt, ut multas acquirant dvitias,
satis ut sperant commodo incredibili. Testis
est experientia, auro inhiantes fulvo, mille
technas argi, fraudes adhibere, ut alios minus
cautos opibus emungant, ut non temerè exclu-
maverit Poëta:

.... quid non mortalia pectora cogis

Auri sacra famæ?

Ab his ultimis, gradu differunt ii, qui in ac-
quiresndo aliqualem præ se ferunt justitiam;
in distribuendo vero satis superque ostendunt,

se minime esse bonos cives, ne dicam bonos Christianos, qui plerumque apud se met ipsos ratiōne ejusmodi fovent cogitationes, quod sibi solum sint nati, non patriæ, non aliis hominibus quasi extra omnem degerent societatem humānam. Ergo si quid facturi sunt, mox quaestio bac præliminaris ventilanda est; Quam & quantam ex opere faciendo capient utilitatem? Prætendentes, nihil frustra atque gratis debere fieri, & ut huic impiæ sententia robur concilient, adducunt scripturam quam nefarie ad suam mentem torquent. Hæc vicia apud Parentes sèpè licet reperire; Liberi autem, præcipue apud vulgum, ita duro sunt animo in Parentes, ut contra dictamen legis Divine atque ipsius Naturæ, ipsis indigentibus non tantum debiem reverentiam atque honorem denegent, verum etiam alimenta; quod nefandum malum in bac mundi ultima senecta, tam altas agit radices, ut eradicari vix possit, nisi Magistratus severissima animadversione in filios eijusmodi immorigeros. Nunc cum mibi ē circulo Philosophico aliquid in medium afferendum, loco examinis publici, mandato eorum, quorum voluntati refragari religio veras dubet ob utilitatem in vita communi, inquire: Quousque & in quantum officium erga suos se extendit?

CAPUT PRIMUM,

De Officio Parentum.

§. I.

HOMINES, cum sibi maxime sint chari, se omni modo cupiunt conservatos, habentes id cum cæteris animantibus commune: Cæterum cum excellentem habeant naturam, atque à DEO in societatem sint creati, obligatiōne quadam speciem suam conservant, & continua successione, per propagationem facta, genus mortaliū ab interitu vindicant. Bruta instinctu naturæ ad propagationem suæ speciei feruntur: homines autem & instinctu & lege naturali obligantur, ut exinde adpareat, naturam speciei propagationem quam accuratissime valuisse observare, ut pote inscolumentem, addo etiam perennitatem, generis humani conservantem: dum velut diffusa soli rationis dictamini eidem successuriari jussit instinctum ita debentem,

ut difficulter admodum homo in contrarium
 niti possit. Puffend. J. N. I. VI. c. i. § 3. Hæc
 obligatio non ita nuda atque simplex
 est, quasi debito esset tatisfactum, si Pa-
 rentes procurent, liberos suos solum-
 modo communem hanc alpicere lucem,
 nulla, quantum apud ipsos est situm, ad-
 hibita cura, sive sani sint & bona consti-
 tutione corporis, sive civitati inutiles,
 claudi, cæci, lucti, morbidi ac prodigio-
 si gignantur. Proinde Physicorum ju-
 dicio, plurimum refert, quales Parentes,
 qua dieta & corporis habitudine, qui-
 bus moribus, sobrii ne, an ebriosi, tran-
 quilla an perturbata mente sint? Quippe
 Parentum vitia in fœtus facile transeunt, &
 ab ipsa corporis indole, laudati, perversaque
 liberorum mores dependent. Le Grand. Inst.
 Philos. p. X. c. 33. Diogenes cum puerum
 temulentum vino cerneret, ferunt eum
 dixisse: *Adolescens, ebrius te seminavit Pater.*
 Parentes sanè, si ipsorum culpa infantes
 labe aliqua vel corporis vel animi sint
 affecti, in noxa sunt, peccantque in or-
 dinationem Divinam, in infantes quos
 de-

debita perfectione privarunt, immo in ipsam civitatem, quae idoneo cive excidit. Propterea etiam contagiosorum hominum sponsalia in ordinant. Eccles. c. XVI. §. II. m. IV. & §. III. irrita habentur.

§. II.

Infante bona indole integrisque membris nato, merito quaeritur: An sit in libertate Parentum, ipsum exponere vel tollere? An vero obligentur ad praestanda ipsi alimenta? Quid primitus in usu fuerit, vix aliquem de numero eruditorum later; non enim insolens fuit infantes publicis locis misericordie caula exponere, quam tamen Parens ipse non habebat. Tanta tunc erat perversitas, ut Davus Terentianus sibi non potuerit temperare, quin convitia ingereret in Herum Pamphilum, animo paterno affectum erga prolem. Ita enim erumpit And. Aet. i. scen. 3.

*Audire eorum est opera pretium audaciam:
Nam incepio est amentium haud amantium:
Quicquid peperisset, decreverunt tollere...*

Expositio prolis actio adeo est crudelis, ut ab ea etiam bruta abhorreant, quæ licet nulla lege obligentur, tamen solo naturæ instinctu, tanto amore suos factus prosequuntur, ut non tantum sponte alant eos, verum etiam contra quasvis injurias illatas cum vitæ suæ discrimine pertinaciter defendant. Id verò gratis sit, quod quidam excipiunt: posse interdū licite parentes exponere filios spurious, quando ita necesse sit ad occultandum crimen & gravem vitandam infamiam. Oportuit enim prius cogitatum; si nolint infamiam subire, satius esse abstinere ab ejusmodi concubitu furtivo atque illicito, quam crimen criminē adaugere. Dicimus itaque Parentes minime posse exponere liberos suos, sed ipsis omnino debere alimenta. Grotius I. B. & P. lib. II. c. 7. §. 4. disputat, Parentes liberis debere alimenta, voce debiti laxius accepta, ut significet id quod nisi in honeste omitti non potest. Osiander tamen in observ. I. alleg. c. & Puffend. I. N. lib. IV. c. XI. §. 4 non sunt contenti laxa illa significacione.

vocis debiti, dicentes: Parentibus perfe-
 etam incumbere obligationem alendi li-
 beros, quamdiu ipsi tene alere nequeunt.
 Pater id ex Parentum tacito consensu;
 nam dum student se conservare & ex in-
 teritu vindicare, non in individuo sed in
 liberis suis, reviviscendo in iisdem, utique
 sponte addixerunt se subministraturos
 ipsis alimenta: Si autem prolem propter-
 ea generassent, ut periret, sanè tam ma-
 xima afficerent injuria. Præterea ipsa-
 natura hunc in finem prospexit infantia-
 bus in utero, & extra uterum per vias
 in mammis deducentes, alimenta. Ergo
 quod infantes invitis Parentibus non
 possint exigere alimenta, obstat naturalis
 liberorum imbecillitas in illa etate, in qua
 ipsis prospicere nequeunt. Adeoque non tam
 jus illos deficit, quam vires id exsequendi; nisi
 qua leges civiles ipsis subveniant, & detrectan-
 tes parentes ad prestanda alimenta compel-
 lant Puffendorf. d.l.

§. III.

Parentes cum secundum hactenus di-
 cta liberorum nutriendorum debito
 sint

sint alligati, videndum an in Matris relictum sit libertate, suo vel Nutricis lacte prolem alere? Tacitus excurrens in Germanorum laudes, in Cap. 20 de mor. Ger. dicit: *sua quemque Mater uberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur.* De Romanis c. 28. in Dial. de Orat. ait: *jam primum suis cuique filius ex casta parente natus non in cella emptae nutricis, sed gremio ac sinu Matris educabatur, cuius præcipua laus erat, tueri domum & inservire liberis.* Hæc dixerat Tacitus, non injuria: Nam materno lacte infans commodissime alitur, qui enim maternæ lacte nutriuntur, si non consuetudo modo, verum etiam maxime proprio utuntur alimento, videturque natura præparasse nutrimentum id, ac facultates naturales quasdam addidisse, quibus eo utatur. Siquidem papilla jam recens natis in os inserta mox sanguin, & hoc ipsum deglutiunt promptissime. Conrad Heresbacchius de Educ. Princ. liberis c. .3 Non sine admiratione vides pullos animalium recens natos sua sponte adire ubera matris, indeque alimentum petere, quasi scirent sibi lac in-

nutrientum à natura esse destinatum.
 Lac nutricum quam incommodus sit
 cibus liberis, vel exinde patet, quod o-
 mnes, in matura nostra estate, dum jam
 membra nobis sunt firmata, experimur
 maximam alterationem, si contingat no-
 bis vii cibo insolito: unde quilibet con-
 jiciat, lac nutricis quantam pariet alte-
 rationem in infantis corpore tenerrimo?
 Mirum nobis non est, si infantes exinde
 sibi contrahant morbum. Plurimi exemplis tam sacris quam profanis, si ēre
 esset, posset probari, summæ dignitatis
 homines esse educatos à propriis suis
 matribus; nec non multos in aliorum
 perniciem crevisse, eo quod malitiam
 cum lacte nutricum imbiberunt, quan-
 doquidem ad mores initio formandos
 magnam ferè partem ingenium altricis,
 & natura lactis efficiat. Si autem quis
 ayet scire exempla, adeat Aegidii Alber-
 tini hortulum mulieb. quadripartitum.
 Ne quis dubius hæreat, ipsa natura aper-
 tè docet: Matres esse obligatas, ut ipsæ
 suos lactent liberos. Siquidem indicio est,

dum mamillæ fœminarum incipiunt
erigere se & veluti intumescere, ipsas
suo tempore lactaturas esse liberos; &
dum papillæ accrescunt, commonetaci-
ent se futuras esse Matres. ut tangatur
nervus: Cui bono lac in mammis Ma-
trum produxit natura? Non frustra, non
Matri, sed Infanti. Videtur sane natu-
ra in usum infantum recondidisse ipso-
rum proprium nutrimentum in mamil-
lis Matrum: itaque dum hæ illos nutri-
cibus commendant alendos, videntur
peccare in illud juris naturæ præce-
ptum, quod jubet *suum cuique esse tribu-*
endum. Præterea nemo non novit, quan-
tum ad amoris intensionem faciat mu-
tua conversatio. Si enim fuerint duo
æqualiter nobis sanguine juncti, quorum
unum habuimus quotidianum convicto-
rem, alterum verò raro vel nunquam
vidimus; dubium non est, quin impen-
sius amemus notum. Sic etiam cum à
peregrinis nutriuntur liberi, Gordius
ille amoris nodus, qui est inter Paren-
tes & liberos, quasi Alexandrino gladio
rum-

rumpitur. Nam cum infantes aliorum ablegantur, facta ex oculis amolitione, vigor illæ materna fragrantie paulatim restinguitur, occupaturque animi & amoris affectio in ea sola unde alitur. Heresb. de educand. Princ. lib. c. 3. Ideo etiam Hecuba Trojæ Regina super Hectore filio defuncto nuda ubera ostendit, ut ad miserationem commoveretur, quod ita expressit Senec: Tro. v. 119.

*Tibi maternis ubera palmis
Laniata jacent.*

Rationes allatæ evincere videntur, Matres esse obligatas, quos enixæ sunt liberos, proprio lacte alere. Sed si omnino vel aggritudo, vel conceptus, vel alia denique necessaria causa obstat, vix est, qui hoc officii à Matribus postulaverit; neque præsumitur infantem, si maturi esset judicii, velle uti suo iure, si ipsi & matri vergat in detrimentum. In ejusmodi casu, nutrices summo studio esse eligendas, sicut prudentiores, ne puer simul cum latente turpisudinem, vitia, agritisudinesque imbibat.

§. IV.

Cum à Creatore societati homo sit destinatus, parum juvat, proli vitam dedisse, & in quodam statu posuisse, ad virtutem & vitium indifferenti, nisi accesserit instructio, & hujus Odium, illius autem Amor incuicetur, Le Grand Inst. Phil. part. X. c. 33. Id autem à Parentibus non potest esse doni dari, quin potestate aliqua sint instructi, quæ sivevit dici potestas patria; de cuius indole pauca in antecessum rimabimur. Disquirunt autores de fundamento potestatis patriæ, circa quod sententiarum reperiuntur divertia. Verum omissis aliorum sententiis, nos cum Grotio facimus, affirmante de J.B. II. c. 5. generatione Parentibus jus acquiri in liberos, idque originarie. Si autem quis voluerit DEUM O. M. ut causam universalem presupponere, id nobis non contrariatur. Existimant quidam hoc absurdum à nostra sententia sequuturum, quod etiam bruta generando acquirant jus: Verum hoc gratis fit, cum non di-

camus jus acquiri generatione qua tali,
 sed solummodo generatione suppositi a-
 licujus rationalis; omne enim jus & im-
 perium præsupponit rationem, quæ in
 brutis deficit, atque sic consequenter
 bruta juris non sunt capacia. Statuit
 quidam vir magni nominis, genera-
 nem solam esse occasionem acquirendi
 juris, præcipue ob hanc rationem: *quia*
proles abit in personam nobis similem, & *qua*
quantum ad iura bominibus naturaliter com-
petentia nobis est equalis; *inde nobis non*
potest esse inæqualis, seu nostro imperio subji-
ci quoad generationem. Verum ut pace tanti
 viri dicamus, cuius autoritati nihil de-
 tractum volumus, ista ratio nostram
 non evertit sententiam; nam *hic* proles
 Patri sit æqualis quoad essentiam, non
 tamen quoad ortum & generationem,
 cum filius non sit Patris Pater, ut quivis
 facile queat animadvertere inæqualita-
 tem inter Patrem & filium. Ad hoc ac-
 cedit educatio, quam ne parentes negli-
 gerent, tenerrimum affectum in prolem
 natura ipsis implantavit, simulque po-

testatem concessit dirigendi actiones lib-
erorum, cum ob iudicij detestum non
possint moderari vitæ suæ. Fundamen-
tum potestatis patriæ poterit etiam esse
pactum tacitum inter Parentes & libe-
ros. Presumitur enim, si usum rationis eo, quo
sublatus est, tempore habuisset, ac perspexisset,
vitam sese circa parentum curam, junc-
tumque illi imperium servare non posse, libenter volunt
in idem consensurum, commodaunque fibi edie-
cationem ab iisdem viceissim fuisse stipulatu-
rum. Puffend. I. N. I. VI. c. II. §. 4. Prolixè
etiam ab iis, qui de hac materia ex pro-
fesso agunt, disputatur, quo usque potes-
tas hæc se extendat? an etiam compre-
hendat jus vitæ & necis? Quod cum sa-
nioribus negamus, quia affectui pater-
no planè contrariatur, delictaque mor-
te digna multo facilius à magistratibus
vindicari possunt. Breviter sic probata
potestate patria, conlequens est videre,
quid vi hujus potestatis debeatur liberis.

§. V.

Potestatis patriæ necessitas eo manife-
sta evadit, quod homines quidem o-
mnes

mn̄es ad malum proni sunt, immo tanta sunt malitia, ut ipsa superent bruta: iraque parentibus ferio incumbit, ut potestate sibi concessa cautē utantur, ut liberos mox ē teneris in timore Domini erudiant, affl̄eſaciendo eos & pietati & honestati, cum ex mente Poëtæ,

*Quo semel est imbuſa recens ſervabit odorem
Teſta diu.*

Quantam in educandis suis liberis impenderint curam veteres Romani, testis est Tacitus c. 28. in Dialog. de Orat. ita enim inquit: *Eligebatur aliqua major nazus propinq̄ua, cuius probatis ſpectatisque moribus, omnis cuiuspiam familie Joboles committeretur, coram qua neque dicere fas erat quod turpe dictu, neque facere quod inboneſtum factu videretur.* Id tane bene & prudenter factum est; cum omnes simus eorum tenacissimi, quæ rudibus perceperimus annis, & infantes ad modum præmonstratum facile te gerant, ut non tantum sermonem aliorum, verum etiam gestus imitentur. Idcirco permagni intereft bene educatum esse. Licet autem

ut plurimum sit verum, quod proverbio
 aliter dicitur: *Applen falla intet längt*
ifrån trän; Interim tamen videmus,
 ut optimis s^æpè progenitoribus nati de-
 generent, & vicissim pessimis parenti-
 bus procreati, optimi cura & institutio-
 ne evadant, ut in Iudaeorum Regibus li-
 quet. Hanc rem plurimis illustrat simi-
 litudinibus Plutarchus περὶ πάτερων ἀγωγῆς,
 provocatque factum Lycurgi, qui duos
 catulos iisdem canibus prognatos, diver-
 sa educandi ratione, reddidit quam dis-
 similiinos: alterum luxui deditum, al-
 terum venationibus aptum. Deinde con-
 vocata concione, duos istos catulos pro-
 ductos, posita in medio patina & lepore,
 dimisit, quorum alter illicò patinam pe-
 tebat, alter leporem infectabatur. Ergo
confuerudo ea sola est, que naturam immutat
ac subigit Baco sermon. fidel. c. 36. educa-
 tio ut necessaria est, ita prudentiam re-
 quirit, nam cum juxta mentem Logi-
 corum, receptivum non recipiat ad mo-
 dum imprimentis, sed ad modum suæ
 receptivitatis: Parentes aliquae instituto-
 res

res quam maxime se ad ætatem & caput infantis accommodent; monita ergo debent esse tempestiva, blanda, paucā & brevis, providendum, inquit Conrad. Heresb. c. 4. de educandis Princ. liberis, magna solicitudine, ne prius literas & institutionem odiſſe quam nosſe dicat, & an aritudinem semel conceptam ultra rudes annos reformidet.

§. VI.

Prout homo duabus constat partibus, anima & corpore, ita educatio in se comprehendit curam & animæ & corporis liberorum. Anima vero cum instar Reginæ habiter in corpore, de ipsius cura primario noster erit discursus: ad animæ autem cultum præcipue facie, pietas, que ad omnia est utilis, dicente Apostolo. Parentes ergo summam colloquunt operam, ut liberis ipsorum vera instilleretur Religio, quum maxime sit ēre societas humanæ; imo alias salute etiam excidunt æterna, quam Theologis in proprio foro ventrilandam relinquimus: Ut quis sit comodum membrum

societatis humanæ, necesse est eum crebro imbibisse: DEUM creatorem hujus universi, non instar architecti alicujus discessisse ab opere suo, sed singulis creatis adeste, inque ea regimen exercere constantissimum; ipsum esse omniscientem, omnipotentem, justissimum, qui nullis muneribus potest corrumpi, nullumque respectum personarum est habiturus. Homines eo sunt plerumque animo, ut existimant se posse eludere iudicia humana, itaque licitum esse facere quæ lubet; ergo cum alios parum metuantur homines, necesse est ipsos in pueritia DEI timorem verumq; cultum imprimeret, ut DEUM seu omnis mali acerrimum vindicem reverenter discant, & viciissim ut omnis boni compensatorem, & propter beneficia tam corporalia quam spiritualia super omnia diligant, in necessitatibus unicum auxiliatorem implorare, & in prosperis eidem gratias agere discant. Heresb. c. supra alleg. Religionem reverentiam esse ultimum ac firmissimum humanae societas vinculum, affirmat Puffend. de Offic. Hom. l. l. c. IV. §. 9. demonstratque ibidem,

dem, semota religione, totam societatem humanam pronam esse ad ruinam. Hujus rei sciendi cupidum, ad nominatum autorem alegatum volumus, qui pluribus & maxime apposite in loco all. hanc rem proponit. Religionem itaque, cum tantæ sit utilitatis atque necessitatis ad societatis humanæ securitatem, hominibus non tantum injungit ipsa Natura, verum etiam DEUS in verbo suo revelato: Ita enim inquit Moses ad gentem Israëliticam: Deut. 6. v. 6. 7. *Et erunt verba ista quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo. Eaque acutè ingerves filiis tuis, ac loqueris de eis quum sedes domi tuæ, quum ambulas per viam, quum cudas, & quum surgis &c.* Præcepti hujus toutes iterata repetitio, ipsius necessitatem indicat. In ordinant. Eccl. c. XXIV §. XI. videmus etiam severè esse mandatum, ut Parentes curent liberos suos in capitulo Christianæ Religionis benè & fideliter informari. Hæc non frustra sunt adducta, cum plerique mortalium ita de rebus soleant sentire, prout asseverunt. Puf-

fend. I. N. I. VII. c. IV. §. 8. & sane mul-
tos reperire licet, qui quidem ore confi-
tentur DEUM ad morem aliorū, interim
tamen sic vivunt, quasi nullus sit DEUS
vindex scelerum. Causa vix alia est hu-
jus rei, quam quod à teneris non sint
assueti sanis dogmatibus, Deumque non
didicerint revereri. Dicitat quidem
Natura DEUM esse colendum, at mo-
dum non præscribit: tamen habet qua-
ris serua persuasio de Numinis, ejusque pro-
videntia sub quoconque conceptu particulari,
eius hanc efficaciam, ut homines reddit officia
sunt obseruantiores. Puffend: Adducitque
Lucianum de imaginibus: οὐ τὸ θεῖον
μὴ εἰ παρέργω σέβεται, ἔτοιχε μὲν τοῦτος ἀνθρώ-
πος ἀρεσκεῖται εἰς Quicunque Numen non su-
perfunctionie colunt, illi circa humana officia
optimi extiterunt. Exempla omnibus u-
bique sunt obvia.

§. VII.

Liberis bene in capitibus Christianæ
religionis instructis, de cætero Pa-
rentes rite suo fungantur officio, scil.
re-

revocando sibi in memoriam: Homines
 citra aliorum opem salvos esse non posse,
 imo si fuerint bene associati, invincibiles
 esse: Itaq̄ fidelem habebunt curam insti-
 tuendi liberos suos, ut bene sint morati,
 ut utilia & non perniciosa societatis hu-
 manæ evadant membra, quod Parenti-
 bus est effectui dandum mox à libero-
 rum infantia, quæ tempus est maximè
 commodum. Οὐσπερ γὰρ τῷ μέλη τῷ σώμα-
 τῳ εὐθὺς δότο γενέσεως πλάτην τῷ τόκο
 νων, ἀναγκαῖον ἐστιν, ἵνα τὰντα δέθα καὶ ἀ-
 σεχῆ φύνει. Τοὶ αὐτὸς τρόπον ἐξ ἀρχῆς
 τῷ τόκῳ τένειν ἥδη πυθμεῖται πεποίησε. h. e.
 Quemadmodum enim membra corporis statim
 & generatione liberorum fingere necesse est, ut
 hæc recta & inflexa sint: ad eundem ma-
 dum, à principio liberorum mores componere
 conveniat. Plutarch. de instit. puer. c. v.
 Considerando suam naturam, facile a-
 nimadvertis quilibet se à DEO eximiis
 dotibus esse ornatum, puta intellectu,
 voluntate & sermone; Idcirco docendi
 sunt liberi, ut suis prærogativis, quæ
 præ cæteris animantibus habent, recte

fruantur: incibcandum subinde est ipsos
 quovis momento obversari in conspectu
 omnia potentis, videntis & justissimi
 DEI. qui eximias ejusmodi dotes ipsis
 concederat in suæ majestatis gloriam,
 & ut se aduersus alios homines exhibe-
 ant sociabiles, ni velint DEO vindici
 pœnas abusus dare. Cum extra socie-
 tam homines non possint permanere;
 Liberi à teneris discant, non suo pro-
 prio, sed publico inservire commodo.
 Circa hanc rem Cic. l. i. c. XVII. de Off.
 suam exponit mentem dicens: *Caris sunt
 Parentes, cari liberi, propinqui, familiares:*
*sed omnes omnium caritates patria una com-
 plexa est, pro qua quis bonus dubitet mortem
 oppetere, si ei sit profuturus?* Cum ergo in
 hominis libertate non sit relictum, vi-
 vere prout lubet; sed secundum nor-
 mam legis, ut possit esse ex usu societatis,
 vitam suam instituat; seqvitur exinde
 liberos esse erudiendos, ut nihil cœco
 impetu agant, verum rectæ rationis di-
 etamine perpendant, quid honestum,
 quid

quid turpe, quid justū, quid injustum; vel ut verbo dicamus: quid facere, quid ve omittēre deceat: *Et quia verum & re-
ctum semper uniforme est, ita judicium suum
formare debet, quo semper de similibus simi-
liter judicet, sibique postquam recte judica-
verit, semper constet.* Tum ut voluntas & id-
petitus rectum judicium non praecurrat, sed
subsequatur, nec ejusdem decretis oblugetur
Puffend. J. N. I. II. c. IV. §. 6.

§. VIII.

Processus modo citati Autoris omnino servandus est, quo ab affectibus inverso, homines susque deque habent quod honestum, quod justum. Docet etiam experientia, affectus in multos mortales tyrannidem exercere, secundum illud, *video meliora, proboque, deteriora sequor.* Elizaberta Angliae Regina in sua responsoria ad Baudium dicit argute: *Ibi ju-
dicium intellectus non potest esse rectum, bi-
t affectus regnat.* Dum indicam s affect s
multorum malorum esse causam, non
ten-

sentimus cum Stoicis docentibus : *Affectus omnes sua natura esse malos* ; tales quidem sunt, à recta ratione exorbitantes. *Affectus verò ut sic*, & qua sunt affectus esse indifferentes. Propterea dicit Putfend. in c. modo citati §. 12. *Frigus affectuum*, i. e. moderamen eorum, est velut *maxime naturale principium prudentiae & probitatis inter homines*. Itaque Stoici Academicq; intempestivo zelo perciti, postulando affectus à natura planè esse eliminandos. audiendi non sunt, cum id neque possit, neque debeat fieri. Prius omnibus patet ; Nam desinent affectus, cum desinent esse homines : constat etiā posterius ; cum affectus moderati, bonos generent effectus. Hæc eo tendunt, affectus omnino esse moderandos, & cum tanti sit momenti, etiam Parentes dabunt operam, ut liberorum affectus rationi plane sint morigeri, alias fateantur se oleum & operam perdidisse, *pueros*, inquit Edmund. Richerus obster. animorum c. IV. m. I. qui habuerit nimium φιλάυτος, ^{περι} nimium φιλονείς, iracundos,

impudentes, perniciaces, contentiosos, mendacio
deditos; quamquam se per totos dies noctes-
que continuo in illis erudiendis excruciet: at-
tamen honesta illorum studia, ad publicam
utilitatem non antea promovebit, quam bujus-
modi vitiis penitus exherit.

§. IX.

Difficilis res est domare affectus, sive
proprii sint, sive alieni: tamen cum
labor improbus omnia vincit, liberorum af-
fectus fideli educatione sunt in ordinem
redigendi. πηγὴ γάρ καὶ φίλα καλονάγα-
θιας, τὸ οὐνιψετυχέν παιδειας i. e. Fons enim
& radix honestatis (est) legitimam consequi
institutionem. Plut. inst. puer. c. VII. 6. De
natura, sub qua etiam affectus intelli-
guntur, immutanda & subigenda, Baco
ferm. Fidel. c. 36. hoc dat consilii, ut per
gradus quosdam procedamus: primo
ut naturam sistamus ad tempus aliquod,
more illius, qui cum irasceretur, lite-
ras Alphabethi, priusquam quicquam
faceret, recitare solebat: secundo, natu-
ram moderemur, & ad minores por-

tiones deducamus: postremo autem ut eam penitus sub jugum mittamus. Hæc adultioribus videntur esse præcepta; sed quod subjungit, magis accommodatum est iis, qui se nequeunt regere propter iudicii immaturitatem. Verba ejus ita audiunt: *Negue antiqua Regula reiicienda: illa naturam ad instar bacilli in contrariam partem flectas: quorecta tandem deveniat. Verum extremum illud alterum in vitium non ducas.* Hoc videtur Heresbach. c. VI. respexisse, dum monet dicendo: *Alacrioribus vultus tristior, tristioribus alacrior præbendus. Tencioribus & folidis permittendum quasi peculiū, quod ad liberalitatem dispensem. Profueribus non concedantur facultates ipsorum arbitrio erogande.* Et. Qui laudatus Author, cum scitè doceat: Ingenia quo patto quæque tractanda sint: eo B. L. sciendi cupidum ablegamus. Edmund. Reih. cap. paulo ante alleg. hujusmodi suppeditat consilium, inquiens: *Juventutis perversa moliri & domari facilius neguit, quam si in ipso iracundiae calore vehementius derideatur; deinde sedata aliquan-*

eulum animi impotentia, blanditiis & elemosa-
 tia, à tam fædo & pestilenti vitio deterreatur,
 doceaturque, puerili atati unicam laudem &
 obsequit gloriam relictam esse. Quod re-
 medium etiam aliis puerorum affectibus
 adhiberi potest, ut scil. propter inordi-
 natos suos affectus derideantur, mox-
 que mitioribus verbis erudiantur ipsos
 minimè decere, ut affectibus trena la-
 xent, seque in vitiorum cœno volvante.
 Addatur ignominiam & pœnam, ut tem-
 poralem ita æternam, mansuram omnes
 præfractos. Omnes homines cum sus
 existimationis sint studiosissimi; itaque
 existimamus ingenui pudoris minoren-
 nem, præscripto modo posse coērceri.
 Observandum vero omnino est; prout in-
 genia sunt diversissima, ita neminem uno
 modo omnibus posse mederi, sed quis-
 que pro necessitate naturæ curandus est.
 Hac in re primarium est, ne juvenibus,
 dum adhuc instar mollis ceræ sunt, per
 prava exempla vitiorum imagines im-
 primantur: quoniam, inquit Reib. c. IV.
 m. IV. puerilis atas, instar simiarum, ad imi-

rationem omnino nata est: quo precepta exper-
 imentis congruant; parentibus & magistris
 summopere est cavadum, ne pravo quodam
 auctoramento, hanc rudem & informem eti-
 tem, viliorum sordibus & maculis collinans.
 Quis dubiter, pauciores fore cohortes
 malorum, si non perniciosis exemplis
 tot homines essent depravati & corru-
 pt? animi vitia consuetudine serpunt, atque
 occulto quodam naturae consensu eorum vitia,
 cum quibus vivitur, sepe ab imprudentibus
 imbibuntur: Heresb. c. V. Paucisque inter-
 jectis lineis, addit: consuetudo malitia pro-
 cessu temporis invalescens tantum facit mali,
 ut postea non possit ulla admonitione vinei.
 Tacitus dum causā inquireret, cur poste-
 rioris ævi Romani, ab antiquiorum glo-
 rīa desciverint, hanc reperit: Nec quis-
 quam in rotā domo pensi habet, quid eoram
 infante Domino aut dicat, aut faciat, quan-
 do etiam ipsi Parentes nec probitati neque
 modestiae parvulos affuefaciunt, sed lascivia
 & libertati, per quæ paulatim impudentia
 irrepit, & sui alienique contemptus. Hæc Ta-
 citi obleratio apud multos nostratum

etiam vera est: Nam s^epe, cum admiratione, imo cum dolore videmus, parvulos, qui non dum didicerunt discernerere inter dextram & sinistram, disertis verbis jurare, maledicere, obliccē loqui, convitiis & sibilis alios consecrari, suos æquales fraude circumvenire & opprimere &c. Qui damnosī fructus non aliunde proveniunt, quam à Parentum & domesticorum minime morata vita: Vident enim infantes, Parentes & alios domesticos impune ejusmodi scelerā committere, unde concludunt etiam sibi licitum esse: Sicque paulatim improbitati callum obducunt, in ipsa accrescunt, imo plane indurescunt, ut malitia deinde fiat incurabilis. Huic contagioni non spernendum dedit antidotum Juv. sat. 14.

---- --- ---- --- si quid
Turpe paras, ne tu pueri contemseris annos
Sed peccaturo obfistat tibi filius infans.

Præire infantes bono exemplo, quantum emolumenti afferat ad honestam ipsorum vitam, dici vix potest, illud ad-

duxisse sufficiat, quod Justin. I. II. c. II.
affirmat de Scythis: vitiorum ignoran-
tia non plus profecisse in illis, quam co-
gnitionem virtutis in Græcis.

§. X.

DE cætero difficultioris viderunt esse in-
dagnis, an Parentes debeant docere
liberos suos literas? cum ex quolibet li-
gno non debeat exculpi Mercurius: nec
salus reipublicæ videtur posse admirtere
ut omnes ex agricultura, officinis arti-
ficium, aliisque laboribus avolent, ani-
mumque studiis humanioribus addif-
cendis adjiciant: omnes tamen in infan-
tia erudiendos cersemus in tantum, ut
ipsi legendo queant haurire aquam ver-
bi Divini, ne vacillent in religione, quæ
vinculum est societatis humanæ, (illud
nunc præterimns, in quantum religio
conducat ad acquisitionē salutis æternæ,)
verum ut Parentes liberos suos unice de-
voveant literis, vix aliqua est obligatio,
nisi solummodo illos, qui feliciori sunt

ingenio, & quos ad literarum studia be-
 nignior provocat natura. Sed circa stu-
 dia literarum, hominum varia licet au-
 dire iudicia; nec desunt qui illa non so-
 lum inutilia, verum etiam pernicioſa ju-
 dicant. Imperitorum & invidorum il-
 lud est judicium, & quid mirum? *cum ni-*
bil sit iustius homine imperito, qui nihil re-
ctum putat, nisi quod ipse facit. Videmus
 bruta animalia cultura mansuſcere, an
 ergo studia literarum, hominum non e-
 mollient mores? Cicero pro Archia o-
 stendit, etsi multi excellentes viri fuerint
 sine literarum cognitione, tamen si eru-
 ditio accesserit ad eximiam naturam sin-
 gulare quiddam efficere solere. Ergo
 naturam litera percipiunt. Dotes naturae,
 instar plantarum sunt, sponte provenientia, *que*
culturam & falcam artis desiderant. Ba-
 co sermon. fidel. c. 48 De studiis litera-
 rum Herelb. c. 12. paucis suam mente in
 exponit dicens: *Sublatis literis omnem hu-*
manitatem tolli, & barbarum quandam, plus
quam Turcicam sequi necesse. Verum ob-
 servandum est, ad prudenciam & sapien-
 tiam

tiam non sufficere solas literas, sed omnino requiri nativam animi bonitatem. Inde quod per naturam stupidus & stultus ope literarum prudens & sapiens non evadit, id non magis quid præstantiae solidarum literarum detrahit, quam efficaciæ medicamentorum quid decedit, quod ea mortuis vitam restituere nequeunt. Quis dubitat bona indole *prædictum*, ubi solidis literis imbutus fuerit, in rebus gerendis expeditius progressum, quam solis naturalibus viribus succinctum? Nec pigebit Plutarchi proferre judicium, dicentis c. 10. τῶν τῆς ψυχῆς ἀρρενιμάτων καὶ παθῶν ή Φιλοσοφία μόνη Φάρμακόν εἴσι, *anima immecillitatum & affectuum Philosophia sola remedium est.* Ejusque utilitates vel effectus per partes loco alleg. describuntur, ubi à B. L. possunt videri. Occurredum etiam objectioni adversariorum, dicentium non paucos eruditos fuisse malos inutilesque societati: Verum malitia illa non debetur literis, sed perversæ naturæ. Ut vitia artificum non impun-

tan-

canda sunt arti, ita nec vitia eruditorum adscribenda sunt literis, si enim propter abusum res bonae essent damnanda, etiam cibo & potu, igni & aqua esset abstinentendum, quibus multi abutuntur. Sic cum literae habeant infinitas commoditates, tamen nisi virtuti famulentur, poterit earum esse abusus, uti rerum aliarum bonarum. Itaque literarum sectatores curabunt, ut studia sua ad usum aliquem vitae humanae referant, & ad culturam & perfectionem animi, ne utilia sint terrae pondera, verum societas humanae membra commoda; subinde cogitantes, eum, qui proficit in litteris & deficit in moribus, plus deficere quam proficere. Nihil enim prodest nosse literas, nisi quis & vitam melius disponat.

§. XI.

Propter necessitatem morum & Doctrinæ, non possumus non quædam in medium proferre, pertinentia ad institutorem. Oritur hic quæstio: Utrum Parentes, magistri officio recte defungi

possint? Extra controversiam quidem est, Parentibus incumbere ut liberos suos erudiant, cum præcipue illum ob finem à natura potestate sint ornati, ut dum liberi rationis non sunt capaces, ipsorum vitæ & morum sint rectores. Verum hoc suum debitum vix benè possunt exequi; cum propter curas tam publicas, quam privatas œconomicas, debitam non queant impendere curam liberorum institutioni. Deinde si Parentes fuerint ætate grandiores, ipsis non sufficiunt vires hujusmodi molestiis devorandis. Qvibus accedit violentia ~~et~~ naturalis, inferens Parentes ad scopulos mediocritati oppositos, ut sint vel nimis impetuosi vel nimis remissi. Complures enim, tam ardenti liberorum promovendorum flagrant desiderio, ut uno quasi impetu conentur omnem doctrinam & moralitatem infundere, & non paulatim liberorum animis instillare, sicque non tantum inanem sumunt operam, verum etiam illos perdunt & non per-

perficiunt; cum natura non sit frangenda sed flectenda, soleatque nimia festinatio causa esse majoris moræ. Alii verò Parentum ita sunt affecti, ut nervos in facie liberorum, lumina quedam, & stellas esse putent. Digna, indigna habentur, puer quæ facit coram parentibus; qui in re tam chara, & propinqua, & qui judices esse non possunt. Reih. c. 3. m. 5. Parentes itaque ut plurimum incommodi sunt ad informandos suos liberos, imo sæpè etiam sunt impedimento aliis informatoribus, præcipue Matres; quarum naturam Ter. Heaut: act. v. sc. ii. ita expressit:

*Matres omnes filios
In peccato adjutrices, auxilio in paterna injuria
solent esse:*

Parentes sane illecebris Philosophias inebriati, liberos suos præpostero amore prosequendo, & nescio quas non excellentias sibi imaginando, ostendunt se magistri officio non recte defungi posse, cum affectus vehementia eos sæpe eant perditum. Quam primum enim adolescen-

vibus, se magni fieri à Parentibus, innotuit: continuo in Diophanti sententiam concidunt; qui superbe nimis & arroganter, populum Atheniensem, omnia facere, quæ vellet, publicabat. Quia ego Matrem, æjebat, Mater Patrem, Pater Rempublicam administrat.

*Quodcunque incidit in mentem, volunt
Neque id putant, præbum an rectum sit.*

Reih. modo alleg. cap. m. 4. Ex hisce jam concludimus: Parentibus in erudientis liberis aliorum opera esse utendum.

§. VII.

A Parentibus, quales ad hanc docendi provinciam, adsciscendi sunt, apposite indicat Plutarch. c. 7. m. 5. Διδασκάλοι γὰρ ζητητέου τοῖς τέκνοις, οἱ καὶ τοῖς βίοις εἰσὶν ἀδιάβλητοι, καὶ τοῖς τρόποις ἀευπίληπτοι, καὶ ταῖς ἐμπειρίαις ἀριστοί. Præceptores enim querendi sunt liberis, qui & vita sint nulla calumnia digni (*inculpati*) & moribus irreprobus-sibiles, & peritiis optimi. Id quidem non temerè præceptum est, cum Præceptorū exemplū tum ad virtutem, tum ad vitiū magnam vim habeat: doctrinæ etiam ne-

necessitas ad oculum patet, cum causa
efficiens nequeat dare effectui, quod ipsa non
habet. Breviter, amabiles propter mo-
rum levitatem, & propter doctrinæ
gravitatem reverendi sunt præceptores.
Tantam rem cum Parentes negligenter
agant, necesse est se qui liberorum corru-
ptelam. Plutar. c. allegato ita loquitur:
πολλοὶ δὲ ἐις τοσῦτον τῶν πατέρων προβάνεσται
φιλαργυρίας ἀμα καὶ μισοτεκνίας, ἀνθ' οὐα-
μὴ πλειονα μισθὸν τελέσειαν, ἀνθρώποις
τὰς μηδενὸς τιμίας αἰρένται τοῖς τέκνοις πα-
δευτᾶς, εὐωνον ἀμαρτίαν διώκοντες. Multe vero
Patrum eò perveniunt avaritia simul, &
Odii liberorum, ut ne majorem mercedem fa-
ciant, homines nulla re dignos eligant liberis
institutores, vilem ignorantiam sequentes.
Qui aliorum usi sunt informatione, fa-
cile norunt diversitatem præceptorum.
Philippus Alexandri M. Pater valde sibi
gratulabatur, quod contigerit filium
suum nati, dum viveret Aristoteles Phi-
losophus excellentissimus, quodque eum
filio natus Præceptorem. Qvisquis
autem nomen boni Præceptoris cupit

habere, paternum erga discipulos induat
 affectum, ut contra discipuli Præcepto-
 rem tanquam Patrem amare & venerari
 possint; nam ad eorum quos amant studia
 & mores totos se componere student, emendati
 & castigati non irascuntur. Propræcea Reih.
 c. III. m. 7. in hunc modum fatur: Mo-
 nendi sunt diligenter pueri, ut magistros suos,
 tanquam proprios Parentes. adament, id enim
 maximi est ad optimam institutionem, mo-
 menti. Hoc etiam H. r. sh. de erud.
 Princio. liberis, c. XI urget dicendo:
 Precipuus enim gradus est doctorem amari,
 unde sacerdotem non terror, sed liberalis rever-
 entia. Modum autem quod id debeat fie-
 ri, hunc præscribit: Proficerit autem pa-
 rentes cum curarint, quem requirimus laude
 agnum, eundem crebro apud filium commen-
 dare, laudibus vehere, ac præcipere, ut bujus
 dictis obsequatur. Hunc ordinem Parentes
 insulè lèpè invertunt, ut velint Præce-
 ptores filiorum suorum esse pedissequos,
 qui ipsorum institutioni frustra deinde
 insudabunt; quoniam pueri, cum pro-
 prio

prio arbitrio & cupiditate, non à Præceptorum placitis & disciplina pendent, nullo modo regi aut contineri poterunt. Id satis experti sumus, discipulos tanti facere Præceptorem suum, quanti æstimatur à Parentibus. Liberi sæpe Præceptorum, sæpius Parentum corrupti sunt vicio. Culpa hic admissa ultimo semper residet in Parentibus, exceptis iis, qui negotiis publicis ita sunt impliciti, ut nullam vel exiguum liberorum possint habere curam; sed necesse est ut ipsos aliorum commendent fidei. Parentes prout liberos in omnia viriorum genera propellunt & concitant, dum ipsis liberum usum pecuniae concedunt; ita etiam fructu institutionis excidunt, dum liberos rebus necessariis minime instruunt, & erga Præceptores sunt justo tenaciores: priores avaritia Parentum ita exacerbantur, ut respuant institutionem; illiberalitas Parentum erga liberos suos, error est plane noxius: nam eos reddit animo degeneres; fallaces deditos; ignobilium consortio se delectantes; magisque ad luxum propensos,

quando rerum copiam adepti sint. ait Baco
 sermon. fidel. c. VII. Præceptores autem
 necessitatis telo adacti, coguntur alia via
 sibi necessaria prospicere, & sic saepè suo
 deesse officio. Ita comparatum est cum
 nobis omnibus, ut in animadvertis
 aliorum factis satis simus oculati; ergo
 etiam parentes, licet suorum liberorum
 non sint commodi institutores, possunt
 tamen, imo debent monere Præcepto
 res, si suo officio rite non funguntur.
 Verum in eo imprudentes sunt plurimi,
 ut id faciant in præsentia liberorum, cum
 id minime debeat fieri, nisi in secreto.
 De Parentum officio, à nobis saepè cir
 tus Heresb. c. 4. ita loquitur: *Parentes &*
proceres non sic velim in Rectores puero desti
natos omnem sollicitudinem conjicere, ut solent
filiarum matrimonio elocatarum in sponsu
universam curam transferre, sed quemadmo
dum diligens agricola, qui ubi terra semina
concredidit, ea subinde in herba invisere soleat,
considerans, sicuti erumpat, quod segetem her
bescentem suffocare aut impedire posse, ut id
mature edellatur, antequam detrimentum af
fe-

ferat. Ad eundem modum opera & pretium fisi-
rit Parentes identidem invisere filium, & ex-
plorare ecquid promoteat, ut res habeat? Ad
hæc rectores & ministros, quos in officio se-
dulos experiantur, præter stipendium legitim-
um, etiam munusculis & ad orationibus ex-
citare ad officium fideliter perfungendum, & li-
beros ad parendum sedulo monere: ita simul
& in officio continebuntur Rectores, & ipsorum
auctoritas constabilietur.

§. XIII.

Verbo etiam agemus de merito præ-
ceptorum; quanti illud sit putandum.
Dixerat non nemo: *DEO, Parentibus*
& Praeceptoribus aequivalentem non posse reddi
gratiam. Id qvidem non sine ratione
est, nos hac vice solum considerabimus,
quantum ad præceptores attinet. Qui
fideles sunt, suos non tantum discipulos
morum atque doctrinæ cultura eximie
ornant, verum etiam Rempublicam
commodis membris adaugent. Pia &
fidelis institutio in star divini alicujus &
preciosissimi unguenti, in cœlum usque

fragrat flavissime. Summum hominis bonum civile, cum consistat non in honore, voluptate, divitiis; sed in actione virtutis, inde facile est conjicere, quantum sit meritum eorum, qui impigre insudarunt, in introducendo ejusmodi nobili habitu, unde tanquam ex scaturagine promanant actiones virtuosæ. Breviter cum Ittero: tanta est animi humani, quem expoliunt, excellentia, tanta sapientia, seu divina, seu humana præ ceteris bonis, præminentia, ut nulla par esse possit temporalium bonorum retributio. Illud verò quod Præceptoribus persolvitur, non meriti pretium est, sed opere, sed laboris, sed occupationis, qua impeditis suis interim rebus vacare non possunt. Conguntur sæpè tantum laboris impendere, ut aliis interferviendo ipsi consumantur. Alexander M. agnovit beneficium Præceptoris Aristotelis: ferunt enim eum ultro confessum tuisse, se longe plura magistro, quam Philippo Patri, debere, propterea quod ab hoc solum haberet, ut more reliquarum animalium, ab Aristotele demum, ut secundum virtutis regu-

gulam actiones suas institueret feliciter-
que viveret. Hæc quæ dicta sunt, de
bono intelligenda sunt Præceptore; alii
vero qui unice quæstum respiciunt, di-
scipulorum negligentes informationem,
nulla re dignos judicamus, nullamque
mereri gratiam. Haud multo meliores
sunt, qui dum aliquatenus suo satisfaci-
unt officio, scilicet Trasōnem agunt, ja-
ctantes se eruditionem non instillare sed
infundere, uno alterove die integrum
docere disciplinam, licet ignari sint di-
scipuli eorum, quæ fundamenti loco præ-
requisitum. Gnatones informationi præ-
fecti, si quam culpam commiserint disci-
puli, quorum parentes φιλοτοργητες illece-
bris sunt capti, ut apud ipsos gratiam
ineant, parati sunt ad extenuandum,
excusandum, imo ad laudandum deli-
ctum: quorum corruptorum caput pro
istoc beneficio, fuste esset demulcendum.
Apposita sunt quæ Heresb. de educand.
Princ. lib. c. XI. scribit: verba ejus ita
audiunt: *Sicut ostendimus, nullis satis hono-
ribus compensari posse fidam, diligentem et*

piam institutionem, ita nullis satis dignis crucibus excarnificari poterunt, qui vel per negligenciam, vel de industria pueros suæ fidei & institutioni concreditos, vel prodiderint hostibus, vel corruperint prava institutione. Quod enim excogitari potest parricidium maius?

§. XIV.

Ut rebus extrinsecis ad sui conservacionem indiget homo, ita Parentes liberis suis debent hereditatem acquirere, quæ curam corporis involvit. Exigit hoc Apostolus 2. Cor. 12. 14. & ad Romanos 8. 17. argumentatur: *si filii, etiam heredes.* videturque parentes ad hoc ipsum præstandum se tacite obstrinxisse, dum intendendo conservationem sui specificam, liberos genuerunt & sustulerunt. Ergo quod sibi in sui conservationem acquirunt, illis acquirunt ob eundem finem; & si participes sunt facti substantiæ Parentum, quanto magis participabunt de bonis ipsorum. Quandoquidem nemo mortalium extra societatem queat traducere vitam, proinde incumbit Parentibus curare, ut liberi ipsorum commoda

da evadant membra societatis humanæ; verum id fieri non potest, quia etiam summo bono civili fruantur (de S. B. Theologico nunc loqui, nostri non instituti) quod S. B. civile, ad sui integratatem requirit bona fortunæ. Ergo consequenter etiam sequitur; Parentes debere suis hberis acquirere opes. Baco ferm. fidel. c. 34. de connexu virtutis & divitiarum ita ait: *divitias cognomine magis proprio vocare nequeam, ut ea appellem impeditamenta virtutis. Sicut enim se habent impeditamenta ad exercitum, ita divitiae ad virtutem.* Necessariae siquidem sunt, sed gravis. Quin etiam cura illarum victoriam sèpe disturbat. In acquisitione opum honestas semper respicienda est, oportetq; quemque tantæ esse prudentiæ, ut consideret naturam paucis esse contentam, ideoque ad naturæ modulum quærendi cupidinem esse adtemperandam. Hic præterire non possumus, quod Excellentissimus Baco ferm. fidel. mod. alleg. c. scribit. *rectè à quodam observatum: se magno cum labore ad exiguae, & nullo fere admagnas*
di-

divitias pervenisse. Breviter uti occasio non est negligenda, si qua se offerat honeste opes acquirendi: ita circa erogationem istarum sic temperandus est animus, ut quæ expendere officium jubet, libenter eroget, & easdem præter necessitatem & rationem ne dissipet. Circa patrimonium relinquendum liberi Parentes dupliciter solent peccare, & in defectu, & in excessu. In defectu, partim abliguendo bona sua, se suosque ad summam adigentes miseria; partim in solita perversitate, qui licet opibus abundant, tanta tamen laborant invidia, ut ipsorum usum omnibus denegent hominibus: propterea bona sua vel igne comburunt, vel in aquas submergunt, vel in terram defodiunt. Ad quorum malitiam depingendam, vix ulli verba sufficiunt. Ante decennium novi rusticum prædivitem, qui suas pecunias in terram defodit, ne in manus pervenirent liberorum suorum; habuit vero nequam ille homo optimæ indolis filios, quorum unus literis erat addictus, deinde necessitate co-

actus, ad exteris te contulit oras, ibique
fatis cessit. In excessu peccant Parentes,
dum nimium anxie & avide opibus in-
hiando, omnem suam spem in incertas
divitias collocant, existimantes re si non
verbis, ita liberis esse prospectum, ut i-
psis bene sit Numine etiam irato. Ava-
ritia prout radix est omnium malorum,
ita DEO est odiosa, justissimamque ab
eo exposcit vindictam: Reipub. exitiosa,
postquam enim semel Rempubl: occupavit, eos-
que qui ipsi presunt necesse est, & judicia cor-
rumpi, & omnia tandem fieri venalia, ut ma-
turae etiam ipsa Respubl. pereat, si emitorum
inveniat, uti de Roma dixerat Jugurta.
Avaritia Parentum liberis & cognatis est
insidiosa, gravemque ipsis minatur rui-
nam; constat enim verum esse quod ca-
nit Poëta:

De male quaeritis non gaudet tertius heres:

Nam uteunque se gerant liberi, sem-
per collum in laqueum inserunt, vel enim
impietatem Parentum sic imitantur, ut
sacra & profana venalia habeant, per pra-
vas artes & oppressiones aliorum ad opes
graf-

graſſentur, (ad hoc exēmple Parentum ſunt informati) vel etiam opes cum pec-
cato acquisitæ iſſis inſerviunt, ad quæviſ
ſcelera & flagitia patranda, ſic ſemper
hæredes pœna manebit. Confirmat ex-
perientia ingentes divitias, ſæpe inſtar
fumi evanuiſſe, atque liberos opulentio-
rum ſolum numerum eſſe, frugesque con-
ſumere natos. Convenit ergo patrimo-
nium relinquendum honeſtè & juſtè eſſe
acquisitum, cum fors parva piorum lon-
ge præſter impiorum magnis divitiis.
Licet autem Parentes debeat theſſau-
rifare liberis, iſſis tamen extra cauſam
alimentorum, vivis Parentibus, non com-
petit juſ aliquod in bonis Parentum, ad-
verſus hōſce valituruſ: quin ita liberis
favere debet parens, ut tamen ideo cæ-
terorum officiorum reſpectum non pe-
nitus exuat: non enim prohibetur, quo
minus bonis ſuis utatur ad gratum ani-
mum aut liberalitatem exercendam, li-
cet ideo minus ad liberos iſſius ſit per-
venturum.

§. XV.

Parentum etiam est, curam & studium
 adhibere, ut in honesto vitæ genere,
 pro conditione persona filius constitua-
 tur. Vix ulli ea contingit felicitas, ut ad
 singula vitæ genera sit idoneus, necesse
 itaque est, ut ad certum studium, no-
 strum adjungamus animūm, idque si
 possibile est à prima ætate, cum à tene-
 ris aſſuſcere multum fit; sic enim dif-
 ficultates quæ obveniunt, optimè lupe-
 rantur. Parentes qui liberorum actio-
 nes debent moderari, si manifesta iplo-
 rum fuerint indolis indicia, minime suo
 deerint officio: verum prudentia ipsis o-
 pus est. Berchring. l. II. c. IV. institut:
 cœconom: dicit officium paternum esse;
 Liberos certo vite generi cum judicio conse-
 crare, sed ut in eo diligendo Parentes non tam
 sequantur suum judicium, quam ingenium
 atque inclinationem liberorum, propositis in-
 strumentis cuiusque artis, atque optione data.
 Hic Parentes nihil cœco imperu agant,
 ni prius liberorum undolem sibi habe-
 ant

ant perspectam, quæ ægre nosci potest;
Ter. And. Act. I. (cena).

*Qui scire posses, aut ingenium noscere;
Dum etas, metus, magister prohibebant?*

Liberi autem maturius judicium nat-
eti, una cñm Parentibus consilium ineant
de eligendo vitæ genere, cogitantes quo
in statu DEI gloriam, & proximi salutem
optimè possint promovere. Satius ita-
que est Parentibus, suum luspendere ju-
dicium, quam in aliorum ruinam præ-
cipitare. Videmus ex praxi quotidiana,
quid juvent Parentum præpostera con-
silia, circa vitæ genera liberorum e. g.
Qui sunt ordinis militaris filios suos co-
gunt in militiam, sæpe etiam illos, qui
nec umbram viri fortis videre sustinent;
alii filios suos volunt judiciis præfectos,
qui tamen nec sciunt, nec scire volunt,
quid jus? quid æquum & bonum: alii rur-
sum volunt suos sacrīs initiari, qui à sa-
cris abhorrent, aptioresque sunt ad pa-
scendum boves, quam oves Christi.

Præterea incumbit Parentibus, liberos
suos honeste collocare in matrimonio-
um, quod indissoluble fœdus, liberis mi-
nimè est absque consensu paterno ineun-
dum: qui consensus non tantum de ho-
nestate, verum etiam de necessitate re-
quiritur. Assertionem breviter pro in-
genii modulo, rationeque instituti pro-
babimus. Parentes generando liberos,
cum alia via non sit ad immortalitatem,
student se ab interitu vindicare, sibique
diuturnitatis memoriam comparare; se-
quitur exinde liberos non esse sui juris,
sed sub potestate Parentum, qui sua cau-
sa eos genuerunt. Ergo ex necessitate,
Parentibus jus competit, tanquam in sua
re disponendi de nuptiis liberorum. Pro-
pterea etiam Apostolus Coloss: 3. 20. mo-
net, ut *liberi obedient Parentibus natà pàrtu*,
E. & in contrahendo conjugio. Eſſet et-
iam contradictorium: esse sub potestate
patria, & tamen contra ipsorum volun-
tatem de re maximi momenti decerne-
re. Primus noster Parens non duxit sibi

uxorem suo arbitratu, sed ex consen-
su & voluntate DEI: cum DEUS non
tantum creaverit uxorem, verum etiam
adduxerit Adamo. Gen. 2. 22, Hodie au-
tem DEUS non immediate, sed median-
tibus Parentibus virum uxori jungit, qui
apud liberos DEI vicem gerunt: nam ut
primus homo à DEO vitam habuit per
creationem , ita nunc liberi à Parenti-
bus vitam habent per generationem.
Ad hæc non tantum secundum 4. deca-
logi præceptum liberi debent honorare
Parentes; qui honor & obsequium po-
stulat, ut Parentes in re seria consulant,
& consulentibus obedient: verum etiam
Parentibus expresse præcipitur in mul-
tis scripturæ locis, ut liberis suis de con-
jugio prospiciant. Ad probandam ne-
cessitatem consensus Paterni, etiam fa-
cit, quod filia vitiata, non nisi Patre con-
sentiente, potuerit duci per legem DEI.
Exod. 22. 17. His consentanea præcipi-
unt leges civiles patriæ, nec non ordi-
nant: Ecclesiast. c. 15. §. 6. ubi cum adjun-
ctis suis circumstantiis totum hoc ne-
go-

gotium proponitur. Auctores licet inconquirendis aliis rationibus, exemplisque tam sacrī quam profanis sint operosi, nos tamen brevitati studentes, ulteriori labore supersedemus, cum pauca hæc argumenta possint sufficere. Parentum consensum ad liberorum matrimonium, cum necessarium dicimus, erunt ipsi ad consentiendum idonei; sana mente præditi, præsentes, liberisque optimè cupientes: non mente capti & furiosi, nam hi nullius consilii sunt capaces: non in peregrinis & incertis locis degentes, nam hos consulere non possunt: non iniqui, acerbi, avari, qui ex mera avaritia, vel ex sola morositate nuptias impediunt, quo casu magistratus istorum consensum supplet. Parentes impedituri nuptias liberorum, si ab initio contractus de consensu fuerint rogati, reddent rationem suæ denegationis. Si vero clandestina despousatio inter liberos minores facta fuerit, sufficit Parentibus dicere: se nolle, quia reverentiam ipsis debitam denegarunt. Vid. Lichenthals Coll. Polit.

Exercit: II. Q XV. Admissus consensu
 Paterno, in contrahendis matrimonii li-
 ber liberis consensus est relinquendus.
Omnino enim consentire debent, de quorum lu-
ditur corio. inquit Scherz. de Conjug. §. IX.
 Difficiles plerumque solent habere exi-
 tis, coacta matrimonia: *Ubi enim non est*
amor mutuus conjugum; ibi discordia, non
concordia est, impeditur invocatio DEI, turba-
tur tuta domestica consuetudo, sequuntur se-
pius adulteria & infinita alia peccata Jac.
 Mart. I. i. Polit. c. IV. Propterea deinde
 monet Parentes ne sua potestate abu-
 tantur; sed ut liberos honestum conjugium
 petentes illegitimè impedire non debent: ita neg-
 eosdem ad quamcunq; conjugem cogere decet.
 Animadvertisimus sanè ita esse compa-
 ratum cum hominibus, ut abhorreant
 à quorundam non malorum converla-
 tione. Juxta illud:

Nos amo te Volusi, nec possum dicere quare;
Hoc tantum possum dicere: non amo te.

Itaque in conjugio legitimè ineun-
 do, partium contrahentium & Paren-
 tum unus quasi debet esse consensus.

CAPUT SECUNDUM.

De Officio Liberorum.

§. I.

 Gimis hactenus breviter de Parentum officio, nunc quam brevissime agemus de liberorum officio reciproco. Ex paterna prærogativa eorumque beneficiis nascitur perpetua obligatio in liberis, quæ in decalogi præcepto quarto venit nomine honoris, hic prout monet Osianus: observat, i. ad l. 2. c: 7. Grot. *Latissime est accipiens, in quantum includit etiam subventionem, immo ex eo autores etiam deducunt obedientiam & patientiam.* Honor Parentibus debitus singularis est naturæ, conjunctus cum intensissimo effectu amoris. Quare præter rationem non est, primum locum in secunda decalogi tabula honorandis Parentibus assignasse DEUM, ut tanto facilius possemus intelligere, primo post DEUM loco nobis habendos esse eos homines,

unde & nati sumus & educati. Recur-
rendum nobis est ad vitæ nostræ cau-
fas. Prima quidem & universalis ut lo-
quuntur Metaphysici est DEUS, qui me-
diate nos condidit. Verum proxima
& immediata causa nostri ortus, sunt
Parentes, de quorum sumus carne pro-
gnati, quorum molesta cura & diligen-
tia nos aluit, educavit ac provexit. *Hec i-*
gitur organa nativitatis & vite nostra, non
immerito sibi secundam post DEUM, postulant
observantiam & reverentiam. Quanto ma-
jori beneficio sumus à quoquam affecti,
tanto majorem honorem & gratitudi-
nem ipsi debemus; at post DEUM de-
bemus Parentibus vitam, basis atque
inchoamentum quæ est omnium ope-
rationum: ergo post DEUM Paren-
tes summo sunt honore prosequendi, in
quibus virtutem pariter ac beneficenti-
am DEI honoramus. Indidit natura
singulis *philautias*, & ut vitam suam ma-
gni faciant; quis ergo sanus magnifice
de vitæ suæ auctoribus non etiam sen-
titat. Dicitur hoc æquitas, jubet Lex &
Di-

Divina & humana. De honore Parentibus debito, Mater una cum Patre participat; nam licet Mater societate conjugali Patre sit inferior, imbecilliorisque sit naturæ, tamen exinde filius abjectè non cogitet de Matre sua, multo minus ipsam debito honore ipoliet. Quoniam ad ipsum discrimen, quod est inter maritum & uxorem, nihil attinet. Sed respiciendum ipse est ad relationem illam, que est inter Matrem & filium. Qualis est respectu marissi ipsius, tibi mater est, & una cum Patre ex equo honoranda. Parentes ut causæ sociæ in generatione liberorum stant pro una persona, ergo ut una persona absque discrimine sunt honorandi: honoras Patrem tuum, & Matrem tuam, inquit DEUS.

§. II.

Circa honorem Parentibus exhibendum, oritur dubium, an id etiam facere debeant spurii? Magna sanè illi a Parentibus afficiuntur injuria, proprie ipsos etiam infames fiunt, ad officiaque publica ferè sunt inhabiles. Eam ob cau-

sam videtur spuriis posse eximi ab illa ob-
 ligatione, ne quem honorem ejusmodi
 Parentibus præstent, Verum spuriis tuos
 honorabunt Parentes, propter præceptum
 generale: *Honora Patrem & Matrem.* DEUS
 nullum facit discriminem Parentum, nul-
 lamq; adhibet cautelam, sed absolute di-
 cit eos esse honorandos; à quibus etiam
 spuriis post DEUM, non tantum habent
 vitam naturalem, verum etiam de ipso-
 rum carne & sanguine acceperunt, quod
 homines & non bruta animalia sint tacti.
 Magnitudinem beneficii arguit vox
 hominis, quæ infert quandam ex-
 cellentiam, nam si quis injuria affi-
 citur, mox reponit se hominem, & non
 eanem vel aliud quodpiam brutum
 esse, indigitans se ejusmodi esse na-
 turæ, quæ ob suam excellentiam nul-
 la calumnia est digna. Præterea Pa-
 rentum delictum DEI præceptum tol-
 lere non potest. Hanc rem pluribus
 exsequitur Bald. l. IV. c. XIV. Cal. Con-
 scientiaz.

Ex honore tanquam fundamento & fonte fluunt obedientia, patientia & gratitudo. Ilum sane non honoramus, quem offendimus, cuius dictis non sumus, audientes. Parentes cum ætate sint grandiores, multa experientia sibi acquisivere prudentiam; illis itaque liberi sua sponte obtemperabunt. Apostolus dum Ephes. 6. i. ad obedientiam erga suos Parentes hortatur, dicit id est justum: nempe propterea, quod, ut paulo ante dictum est, Liberi vitam suam à parentibus habeant, & ab his multa cum sollicitudine & infinitis curis sint educari. Itaque temere non laudat filium suum Simo Terentianus dicens And. act. II. scen. V.

... *Facis quod te decet*

Cum isthac, quod postulo, impetro cum gratia.

Hæc obedientia liberorum erga Parentes habet suam justam exceptionem, si injusta & impia jubeant Parentes: Tum enim DEO potius obediendum, neglegto Parentum imperio. Pertinet huc illud Christi: Qui Patrem & Matrem plus

plus diligit, quam me, non est me dignus.
Verbo: Supra omnia diligendi Parentes, in omnibusque illis obediendum: Sed non supra DEUM & contra DEUM.
Grotius in proleg. Juris B. & P. dicit: *Inter homines quasi Dii quidam sunt Parentes, quibus proinde non infinitum, sed sui generis obsequium debetur.* Parentibus itaque in re honesta obsequi, liberis gloria est.

§. IV.

Secundus rivulus ex honoris fonte fluens est patientia, qua tolerant filii Parentum infirmitates & nævos. Homines senio confecti, quoad mores videtur repuerascere, juxta illud: *bis pueri senes.* imo sæpè ita sunt morosi ut difficilimum sit illis placere; verum liberis difficile non erit, infirmitates & defectus Parentum patienter ferre. Parentes liberorum causa multa dura & acerba passi sunt, imotanta, ut liberi nunquam ipsis dignam possint referre gratiam. Qui præcepit Parentes esse honorandos, is etiam vult, ne liberi Parentum infirmitates fastidiant: verum potius

amoris & patientiae pallio eorum tegant
 nævos: revocent sibi subinde in memo-
 riā, *honora Patrem & Matrem.* Jac. Mart.
 l. i. Polit. c. 6 liberis non tantum pia &
 salubria consilia suppeditat, de adhiben-
 do remedio, quo Parentes ad meliorem
 reducantur frugem; Verum etiam ne
 propter Parentum nimiam erga se acer-
 bitatem, convitia & manifestas injurias,
 suo desint officio: Qvorum priora, B.
 Lector, si ipsi volupe fuerit, ab ipso au-
 ñore in loco alleg. poterit haurire, nos
 tantum posteriora extribemus. p.m. 186:
 ait: *primum cogitabunt, fieri posse, ut bo-*
rum ipsi causas per imprudentiam submini-
strent; ideoque diligentem conversationis sua-
ae morum rationem inibunt, & si quid culpa-
bile deprehenderint, emendabunt. Deinde qua-
illi sunt dūiores & inhumaniores, hoc ipsi sele-
præbebunt in omnibus modestiores & submis-
siores, quo duritiem eorum obsequendi & gra-
bificandi promptitudine, quasi quodam mala-
gmate, sensim emolliant. Quod si nibil hac
ratione effecerint, cogitabunt juventutis suæ le-
vitasem, hac severitate domi non sine conse-
fin.

filio DEI exerceri, quo inde à puerō ad patiē-
 etiam injuriarum instituantur, qua p. st̄a per
 omnem vitam in mundo conversantes, bene u-
 tantur. Hinc pater quanto supplicio sint
 digni, qui ob quascunque injurias, Pa-
 rentibus accelerant mortem. *Parricidium*
 inquit Berchring, Inst. œconom. I. II. c. II.
 est caput criminum, inter pessima sce-
 lera pessimum, immò complexus qvi-
 dam scelerum. Propterea etiam pœnæ
 rario antiquitus erat singularis: Vivi e-
 nim parricidæ insuebantur culeo, cum
 vivis animantibus, cane, gallo gallina-
 ceo, vipera & simiâ, atque secundum re-
 gionis qualitatem vel in vicinum mare,
 vel in amnum projiciebantur, ut omni-
 um elementorum usu carere incipient,
 cœlumque superstitibus, & terra mor-
 tuis auferatur. Cur autem hæc anima-
 lia fuerint conjuncta, videri potest Berch.
 haud incommoda conjectura, in loco
 modo alleg. Verum conceditur filio, li-
 citè se posse defendere adversus Pa-
 trem ad necem usque irruentem. Nam
 quamvis impius & crudelis Pater etiam

Pater est. Nihilominus in tali proposito, non ut cum Patre, sed ut cum hoste agitur. Sed DEFENS longissime avertat talem casum! Revere-
rendiss: Episc: Doct: Gzelius patr: post
œconom: c. l. q. XI.

§. V.

Tertius rivulus emanans ex fonte ho-
noris Parentibus exhibendi, est gra-
titudo, quæ si in ullo desideratur, certe
a liberis requiritur, qui Parentibus suis
acceptum ferent & vitam & possessiones,
saltim quo ad prima initia & acquisitio-
nis fundamenta. Hanc gratitudinem
non aliter magis manifestam reddere
possunt, quam si Parentes senio confe-
ctos alant, eorumque necessitatibus in-
serviant. Morus debiti necessitate Solon,
dicitur, eos qui id non facerent, intamia
notasse. Hanc gratitudinem suo jure
beneficia postulant paterna: *Etiamsi filius*
Patri beneficat, non beneficit, sed beneficium
rependit. inquit Seneca. Qui enim dat a,
liquid, si prior accipit, non obligat, sed
reddit. Obligationem hanc esse juris
naturalis facile patet, quia honorare Pa-
rea.

rentes, est præceptum juris naturæ, illum
 autem honorem includere etiam alimen-
 ta Parentum, constat ab interpretatione
 ipsius Christi, qui honori Parentum ad-
 versari statuit, si aliquid ipsis subtrahar-
 tur, quod facit ad ipsorum sustentatio-
 nem, etiam sub prætextu DEO dicandi.
Matth. XV. 4, 5, 6. Verum non de ni-
 hilo est quod dicit Grotius J.B.II.c.7.m.v.
 hoc debitum non esse æque ordinarium,
 atque illud quod parentes debent liberis.
 Hoc tamen non obstat, quin obliget li-
 beros; nam ex illo Apost. 2. Cor. XII: 14.
 ἐγοὶ δὲ οὐκέται μὴ πίνουσι τὸν ιανεῖλεν
 ἀλλὰ οἱ γοῦνες τοῖς τέκνοις, hoc saltem in-
 fertur. per se Patri convenire ut subvenias
 filio, & propterea non solum ad horam debere
 ei subvenire, sed ad totam vitam, quod est
 θησαυρίζειν, id est condere in futuros usus,
 vel prospicere in futurum: filius vero
 Parentibus debet alimenta, in casu ne-
 cessitatis, cum scil. ad egestatem redacti,
 senio vel morbo laborant, ut citra alio-
 rum opem nequeant subsistere, atque
 eunc cum liberi Parentibus subveniunt,
 di-

dicit Berchring. id fieri turbato mortalitatis ordine, & per accidens, quia natura liter non parentes filiorum, sed filii parentum sunt successores. Officium hoc liberiorum venit etiam nomine ~~animarum~~ avia, de qua afferuntur versus ex Aristophane:

*Sed est & nobis avibus haec antiqua lex
Descripta in legum tabulis, quas ciconiae
Habent; Parvas nam cum Pater ciconias
Nutribit & jam factae sunt volatiles,
Oportet natos banc referre gratiam
Parentibus, ut senes vicissim nutriant.*

Hanc gratiam Paulus etiam commendat hominibus 1. Tim. V. 4. exstantque hujus rei plurima documenta apud gentiles; ex multis nos unum tantum affremus exemplum, quod nobis in Aenea subministrat Virgilius 2. lib. Aeneidos:
*Eja, age, chare Pater, cervici imponere nostra
Ipse subibo humerie; nec melabor iste gravabit:
Quo rescung^z cadet, unum & commune periculum,
Uta salus ambobus erit.*

Oriuntur hic perplurimi casus, non minus explicatu difficiles, quam scitu

necessarii atque jucundi; nobis tamen nunc non licet singulos delineare, qui tantummodo decrevimus summa capita leviter perstringere. Sit venia verbo, quaque ut dicamus pace L. B. si bonus fueris interpres, scripsimus satis, sin autem malus, plus satis.

Obligationem Parentum & Liberorum reciprocam dum pro modo ingenii simpliciter exponimus, minime decet nos esse immemores Patris Patriæ, CAROLI XII. Regis nostri Serenissimi, qui se ob nostram tranquillitatem, innumeras expoluerat periculis, inter va- ferrimos hostes, à cuius vita nos nostrum protrahimus spiritum: hunc itaque, O cœli & terræ crea- tor Omnipotens, tua gratia cœlitus corona, dirige gressus ejus in semi-

tis

tis tuis, fac ut CAROLINUM no-
 men terrori sit veritatis hostibus,
 serva nobis unctum tuum, hoc
 depositum tuum serva nobis, &
 conserva ut pupillam oculi: O Po-
 tentissime DEUS reduc cum pace
 Regem nostrum Clementissimum,
 ut pro hoc & innumeris aliis tuis
 beneficiis, hic in tempore, post-
 eaque in æternum, te sine in-
 termissione laudemus,

AMEN.

DEO TRIUNI GLORIA.



ЛІВОЮ ГУРІЯ Т ОДА

ЛІВОЮ ГУРІЯ Т ОДА